

iurare convincitur, quia licet has creaturas nominet, non tamen per eas iurat, quia non ad eas refert iuramentum sed ad eum, cui reliquiae sunt dedicatae, ut sit sensus: sic me deus adiuvet et istae reliquiae i. e. sic opto meam salutem a deo, cui hae reliquiae sunt dedicatae. Qui autem non praenominato deo iurat per aliquam creaturam, puta per solem et lunam, licet idem possit esse sensus scil. per virtutem eius iuro, qui ista creavit et regit, quia tamen suspectum est verbum et infirmis scandalizatorium, prohibitum est, ne sic iuremus. — Iuratur aliquando extra iudicium, aliquando in iudicio. Iuramentum extra iudicium quandoque a parte parti deferitur nec necessitatem habet, ut vel praestetur vel referatur. Praestitum tamen vel remissum, delatum relatumve offert emolumentum. In iudicio quandoque iuramentum a parte parti deferitur et hoc iudice approbante. Hoc delatum regulariter refertur. Est etiam tertium iuramentum, quod ob probationis inopiam actori vel a iudice reo deferitur nec refertur. Primum conventionale vel voluntarium est, secundum necessarium, tertium iudiciale nuncupatur. Hoc ultimum non refertur. Ex duobus prioribus nascitur actio et exceptio, ex tertio minime. Sacramentum delatum et nondum praestitum potest revocari, sed revocatum postea non debet referri. Delatum sacramentum aperte parti in iudicio aut suscipitur aut non; susceptum aut praestatur aut refertur; relatum non refertur. Ergo reus, cui deferitur, debet solvere vel iurare vel referre. Actor debet vel desistere vel iurare vel referre. Sed per Iustinianum permittitur recusare. Quod est quartum membrum. Sane iurisiurandi delatio non appellabit licet relatus appellare possit. Illud etiam nota est dignum, quod iuramentum quandoque maiorem quandoque minorem, quam res iudicata, habet auctoritatem. Minorem habet, quando minor contra iuramentum restituitur ut C. si adversus venditionem l. 1. (Cod. II. 27.) et XXXI. q. 3. c. 1. et XXVII. q. 1. c. 1. licet contra iudicium (iudicatum) restituatur. Maioris est auctoritatis, quia res iudicata veritati praeiudicat, quod non potest sacramentum. Item sciendum est, quia procuratori non refertur recte, licet quandoque recte deferat, puta si nominatim ei iniunctum fuerit vel generale mandatum habuerit deferre, potest iuramentum deferre rei tutor quoque curator oeconomus servus quoque et filius familias in